

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio Tertia

De

ΛΟΓΟΥ ΙΝ-
CARNATIONE.

Quam

Annunte Θεαγωγώπω

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Theol. D. & P. P.

*In Collegio privato examinandam
proponit*

M. HIERONTMUS PRÆTORIUS
Hamburgensis.

*Habebitur ad d. 8. Novemb. horis pomeridianis
in minori Auditorio.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officina Johannis Gormanni,

ANNO clō lō c̄ XIIIX.

CHRISTOPHUS ZACHAR

Dissertatio

de

ALOTONIN

GARNITIONE

de

Annuntio

SUB PRAESIDIO

Dr. BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Theol. D. & P. P.

In Collegio privato examinandam

proponit

M. HIERONYMUS PRATORIUS

Hamburgensis.

Habebitur ad d. 8. Novemb. horis pomeridianis.

in aedibus Auditorio



WITTEBERG

Ex Officina Johannis Gleditschii

ANNO 1719





CHRISTOLOGIAS

SACRÆ

Disputatio Tertia.

THESIS I.

Con-
nuatio.



*I*n magno illo pieta-
tis mysterio, quod Deus mani-
festatus in carne, 1. Tim. 3, 16.
in quod Angeli gestiunt & Sa-
nctus Spiritus 1. Pet. 1, 12. tres qua-

si actus concurrunt 1. carnis conceptio. 2. conce-
ptæ assumptio, 3. assumptæ unio.

I. Licet autem inter hos nullum omninò tem-
poris intervallum est cogitandum vel fingendum
(nam Angelo nunciante & Spiritu Sancto
adveniente mox fuit verbum in utero, mox
intra uterum verbi caro, ut B. Gregorius loqui-
tur) merito tamen docendi causâ distinguuntur, ne
obscuritatem pariat confusio.

II. Hanc itaq; partem in tres peculiare sectio-
nes dividemus, initium à prima facturi & eandem
sex capitibus inclusuri. 1. erit de vocabulis. 2. de
dictis pro incarnatione. 3. de persona incar-

Distributio.

nata, 4. de tempore incarnationis, 5. de vera definitione, 6. de meditationibus practi-

Membrum
de voca-
bulis.

IV. Quemadmodum termini, quibus in rebus sacris describendis utimur, sunt vel Ἐσφαφοι seu biblici; vel ἄλλαφοι seu Ecclesiastici; ita etiam presenti in mysterio.

V. Ἐσφαφοι sunt: descensus Esai. 64, 1. Joh. 6, 33. manifestatio in carne, 1. Tim. 3, 16. κωνωμία carnis & sanguinis Heb. 2, 14.

VI. Ἄλλαφοι sunt corporatio, Hilarius in Prol. super Psalm Oeconomia verbi Damasc. lib. 3. c. 6. mixtura admirabilis, August Ep. 3. ad Velus. Greg. Nazian. Orat. Panegy. in Christi nativ. in humanatio Damasc. l. 3. c. 13.

VII. Sed magis usitatum in Ecclesia nomen est Incarnatio. Quo etiam ad hoc Mysterium significandum Patres bene Latini usi sunt Aug. libr. 10. de civit. Dei. c. 24. & 29. Hier. in c. 1. Marc. Ambros. in c. 23. Lucæ. Atque in eadem significatione à Grecis Patribus usurpatur vocabulum ἐνσάρκωσις.

VIII. Desumpta verò est vox ἐνσάρκωσις ex Johan. 1, vers. 14. ubi Ap. ait, Verbum caro factum est, nim. non conversione Deitatis in carnem, sed assumptione humanitatis eis θεότητι in Deum.

IX. Incarnari ergò nihil est aliud, quàm carnem fieri, & incarnatio notat actum illum mirabiliter singu-

Singulari, in quo λόγος vel aeternus Dei Filius in plenitudine temporis nostram naturam in sua ὁμοεισεως unitatem suscepit sibiq; intime univit.

X. Tria ergo vocabulum hoc innuit 1. λόγον qui incarnatur. 2. carnem, quae assumitur. 3. utriusq; concursum personalem.

XI. Differt autem incarnatio ab unione. Incarnatio enim verbi propria est, quippe de quo solo predicari potest. Nec enim humanitas vel caro ipsa sed Persona Filii Dei dicitur tantum incarnata; unio vero ad utramque naturam pertinet, atq; reciproce dicitur.

XII. Porro, incarnatio λόγος in V.T. futura praedicitur per Prophetas; in N. facta declaratur per Apostolos. Dicta utrobique occurrunt plurima; nos ex quovis instrumento aliqua proferemus.

Membrum
2. de dictis
in quibus
fundatur
incarnatio

XIII. I. Sumimus ex c. 9. Esaiæ v. 6. Parvulus natus est nobis &c. Notandum 1. de Messia hic sermonem fieri ut ex Matth. 4, 16. patet. 2. Prophetam de futuris loqui in tempore praeterito ob summam certitudinem. 3. distinctis nominibus pueri & filii distinctas naturas exprimi. 4. puerum illum esse verum Deum, id quod appellationes tribuæ & satyris insinuant.

λόγος.

XIV. Nos duos cum primis titulos urgemus nempe, quod vocatur 1. Deus. 2. pater aeternitatis. In Hebraeo est יהוה quod in genere notat robustum & potentem, sed absolute positum veri Dei nomen est,

cui tribuitur καὶ ἐξοχὴν Jerem. 38, 18. Notandum verò, quod Messias non tantum Deus, sed insuper Deus fortis vocetur, ut verus & omnipotens, non aliquis nuncupativus aestimetur Deus.

XV. Deinde appellatur pater eternitatis, quo nomine innuitur cum eterna ipsius duratio, tum seculorum productio. Iam qui non tantum eternus, sed etiam pater eternitatis est, eum sanè verum naturâ Deum esse oportet.

XVI. Quibus ita declaratis pro incarnatione λόγος sic concludimus: Qui verus Deus & Pater eternitatis, simul tamen puerulus est in tempore natus, eum incarnatum esse vel carnem humanam assumpsisse oportet. Sed Dei Filius, qui nominatur Deus, paterque eternitatis, simul est puerulus in tempore natus. Quare Filium Dei incarnatum esse vel carnem humanam assumpsisse oportet.

XVIII. 2. Ex Ier. 23, 5. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, &c. de Messia hic Dominum vaticinari, ipsi etiam Iudaei non negant probantq; per Targum sive Chaldaicam versionem. Duplex autem hic Messiae natura duobus titulis perspicue describitur. 1. nominatur germen Davidis. 1. ratione ortus, 2. ratione augmenti, & quidem iustum tum ratione sui, tum ratione nostri: Ratione sui, quoniam justus est Messias homo habitu & actu; ratione nostri propter meritum & applicationem. 2. Appellatur Iehovah iustitia nostra. Ex quo

quo sequitur, Messiam esse verum Deum, quia nomen soli Deo proprium illi attribuitur.

XIIX. Hinc tale pro incarnatione λόγος formamus argumentum. Quicumque est verus Iehova & nihilominus dicitur germen Davidis in tempore suscitatum, is procul dubio incarnatus est vel humanam carnem assumpsit, sed Filius Dei a patre missus in mundum, est verus Iehovah & nihilominus unâ dicitur germen Davidis. E. procul dubio Filius Dei incarnatus est.

XIX. Tertium supeditat Mich. c. 5. 2. Et tu Bethlehem &c. De Messia hic tantum agi constat ex c. 2. Matth. v. 6. cuius primò exprimitur patria, quæ vocatur Bethlehem 2. Ponitur singulare nomen Messie dum vocatur משיח. 3. Describitur nativitas temporalis per verbum egrediendi, quod sæpe idem est ac nasci. Gen. 15, 4. 2 Sam. 7, 12. &c. Tandem 4. innuitur æterna nativitas, & vera Deitas Messie per verba: egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.

XX. Egressus ille æternus duobus vocabulis describitur 1. à quondam, ab antiquo. In fonte est מן quod vocabulum, quamvis pro certo & definito initio temporis sæpe sumitur: Non raro tamen æternitatem notat, cum de Deo usurpatur, ut Hab. 1. v. 12. 2. à diebus seculi. מן ימי vero 3. habet significationes. 1. Sumitur pro duratione longa, 2. pro duratione mundi, 3. pro duratione principio

eter-

& sine carente, ut hoc in loco. Hebræi enim cum eternitatis nomen proprium non habeant, nomine Kedem & Olam utuntur ad eam significandam.

XXI. His ita explicatis contra Photinianos firmissimè sic concludimus: Qui extitit ab eterno, simul tamen in tempore egreditur ut homo, illum verè incarnari & carnem assumere oportet. Atqui Messias quæ Deus extitit ab eterno, & simul in tempore ex Bethlehém egressus est ut homo. E. illum verè incarnatum esse, & carnem assumpsisse oportet.

XXII. 4. Principalis locus est Johan. 1. 14. Verbum caro factum est, &c. Hic per verbum non intelligenda est vox aliqua evanescens, sed coessentialiale illud VERBUM Patris, scilicet Filius Dei unigenitus, uti hoc ipsum etiam statim in 1. versu hujus cap: videre est ubi aperte habetur, quod Deus erat VERBUM: Per carnem verò, non una tantum humanæ essentiæ pars, neq; etiam affectiones, sed tota & integra natura humana constans animâ & corpore sine peccato. Hinc tale fuit argumentum. Quicumq; caro factus est, is verè incarnatus est. Atqui λόγος seu filius Dei factus est caro. E. λόγος verè incarnatus est.

XXIII. 5. Sumimus ex Epistola ad Col. c. 2. 9. in ipso habitat, &c. In hoc dicto singula verba consideranda 1. pronomine ἐν αὐτῷ respicitur non ad doctrinam Christi, ut volunt Photiniani, sed ad ipsum Christam 2. per vocabulum κατοικῆσθαι

Et continuata innuitur mansio; 3. exprimitur ipsa inhabitatio πάντων τὸ πλῆρωμα τῆς θεότητος. Et id est perfectissima Et plenissima Deitas. 4. modus inhabitationis, describitur adverbio σωματικῶς, quo 3. innuuntur, 1. idem est quod verè ac realiter. 2. idem quod personaliter. 3. innuitur verum subjectum quod est σῶμα vel humanitas Christi.

XXIV. Unde argumentamur: Quicumque incarnate habitat personaliter, velut in proprio templo, eum certè incarnatum esse oportet. Ratio, quia τὸ inhabitare per carnem fieri explicatur Joh. 1, 14. Sed λόγος habitat in carne personaliter velut in proprio templo. Ergo λόγος incarnatum esse oportet. Quid ad hæc dicta excipiant Photiniani, in ipso disputationis actu σὺ Θεῶν videbimus. Nos progredimur.

XXV. Quamvis incarnatio dicatur opus totius Trinitatis efficienter Et inchoative (Pater enim dat Filium suum, Johan. 3, 16. Et mittit eum Galat. 4, 4. Et Spiritu Sancto ungitur Christus Johan. 3, 34. Act. 10, 38. Ebr. 1, 9.) solius tamen Filii formaliter est Et terminative Joh. 1, 14. Ebr. 2, 14.

Membrum
3. de Perso-
na incar-
nata.

XXVI. Scholastici declarant illud similitudine trium puellarum, quæ junctæ unam vestem texunt, sed eam tantum uni adaptant. Ubi actio formandi Et exterius induendi est quidem omnibus communis, non tamen omnes, sed una tantum induitur:

A 5

quia

quia haec actio non in tribus, sed in una ex tribus terminatur.

Serm. 119.
de temp. in
expos. Sym.

XXVII. Hinc recte Augustinus: Verbum caro factum est, inquit, non Pater, non Spiritus Sanctus, sed carnem Filii tota Trinitas fecit. Inseparabilia enim sunt opera Trinitatis. Et Serm. 3. de temp. Cum una sit Deitas, una sit divinitas, implevit quidem carnem Christi, & Pater & Spiritus Sanctus, sed maiestate non susceptione.

XXVIII. Firmiter itaque tenendum, in incarnatione operari quidem totam Trinitatem, sed solam Filii personam incarnari.

XXIX. Obuciant hic nonnulli: Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, & omnibus personis communia. Incarnatio est opus totius Trinitatis ad extra. E.

XXX. Resp. breviter. Tria sunt genera operum Trinitatis, 1. ad intra, 2. ad extra, 3. mixta, quae ad intra ratione termini, ad extra ratione initii. Alia sunt personalia, E. divisa. Ista essentialia. E. indivisa: Haec personalia & essentialia. E. & divisa & indivisa.

XXXI. Mixtum opus est incarnatio: quae trium personarum est efficienter & inchoative ob decretum & carnis productionem: Sed formaliter & terminative solius filii ob personalem istius carnis assumptionem.

XXXII. Cur autem secunda Deitatis persona sit incarnata, rationes pia & perutiles à Iustino, Athan: August: Irenæo & aliis adferuntur. Irenæus ex Genes. 1, 27. & Col. 1, 15. hanc affert: Cum homo restituendus esset ad Dei imaginem, debuit id fieri per eam personam, quæ est imago & character $\epsilon\upsilon\omicron\sigma\upsilon\alpha\sigma\epsilon\omega\varsigma$ Dei Ebr. 1, 3. item alibi inquit: decebat ut ejusdem esset $\alpha\nu\acute{\alpha}\pi\lambda\alpha\sigma\iota\varsigma$, cujus fuerat $\pi\lambda\acute{\alpha}\sigma\iota\varsigma$, id est, ut idem nos crearet & recrearet, faceret & reficeret. Cui affine est illud Athanasii ad Epict: Conveniebat, ut ejusdem esset $\alpha\nu\alpha\kappa\lambda\acute{\iota}\zeta\epsilon\nu$ cujus fuerit $\kappa\tau\acute{\iota}\zeta\epsilon\nu$. Omnium autem dulcissima & pia consolatione plenissima est illa Irenæi libr. 3. c. 20. Ideo Filium oportuit hominem fieri, ut nos, qui eramus filii iræ adoptionem filiorum DEI recipere-
mus.

XXXIII. Filium autem quando incarnatum esse dicimus, non intelligimus solam ejus hypostasin absq; Deitate seu divina natura consideratam, sed naturam verbi divinam hypostatice limitatam humanæ naturæ unitam esse credimus. Nam persona $\tau\omicron\varsigma$ $\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$ ab ejusdem natura, non ita segregari potest, ut illa quidem humanæ credatur hypostatice juncta, hæc verò non.

XXXIV. Obiicitur hic: Tota divina natura est incarnata, tota natura divina idem est

est, quod 3. personæ Trinitatis. E. hæ omnes sunt incarnatæ.

XXXV. Resp. Distinguendum est inter duplicem considerationem naturæ divinæ: vel enim consideratur ea absolute & simpliciter prout scilicet omnibus tribus personis Trinitatis est communis, & hoc respectu eam nullo modo incarnatam dicimus: vel relate prout natura divina certo quopiam caractere personali limitata, & vel natura divina gignens, vel genita vel procedens intelligitur: & sic recte dicimus, naturam divinam genitam esse incarnatam, quæ nihil aliud est, quam ipsissimus Dei Filius.

XXXVI. Hinc recte Damasc. dicit: Totam divinam naturam in una suarum hypostaseon incarnatam esse; & licet tota sit incarnata; non tamen *ὁλικῶς* totaliter est incarnata, quia incarnata est, quatenus in Filio est, non quatenus, in Patre & Spiritu Sancto.

*Membrum
pp. celestem,
4ore incar-
nationis.* **XXXVII.** Quod non statim in principio Mundi incarnatus est Filius Dei, factum putatur, ut homines cum diuturnioribus malis conflictati magis agnoscerent infirmitatem suæ naturæ, & ad medicum clamarent. Notitia enim peccati est initium salutis.

XXXIIX. 2. Ut prius exercerentur in fide promissionum de futuro Messia. 3. ut Deus homines assuefaceret ad suos mores, qui cum mora plerumque conjuncti. 4. ut ab imperfectione legis ad Evangelii perfectionem traduceret: Et tandem 5. ut ob longam expectationem pluris fieret adventus Messiae & redemptionis beneficium.

XXXIX. Porro, quod adventus λόγος non est diutius usque in Mundi finem dilatus partim, id propter Deum partim propter nos factum est.

XL. Propter Deum 1. ut suam Φιλανθρωπίαν ostenderet 2. ut promissiones de Messia factas impleret. Propter nos homines 1. ut plures per concionem Evangelii de λόγω incarnato possent converti. 2. ut fides hominum augetur 3. ut firmam futurae hereditatis spem conciperemus. 4. ut sincera dilectio magis magisque in nobis accenderetur.

XLI. Peracta itaque est incarnatio λόγος in media Mundi aetate 1. Corinth. II. v. II. Hebr. I. ver. I. 1. Johan. I. ver. 18. Quod tempus fuit omnium commodissimum 1. propter ablationem Sceptri de Iuda. 2. ob summam Iudaeorum malitiam, 3. ob doctrinae reformationem. 4. ob magnum Electorum numerum. 5. ob spei de Messiae adventu abiectionem.

XLII. His itaque jam explicatis talem damus

in-

Membrum
5. de defini-
tione incar-
nationis.

incarnationis definitionem: Incarnatio est di-
vina & supernaturalis actio, qua aeternus
Dei Filius naturam humanam integram
& sanctam ex obumbratione Spiritus sancti
in utero virginis Mariae formatam in u-
nitatem suae *ὑπόστασεως* sine confusione as-
sumpsit, atque ita verus homo factus est,
ut jam in duabus naturis, divina & huma-
na personaliter & indivulscē copulatis sub-
sistat.

XLIII. In hac definitione exprimitur 1. genus
quod est actio non humana sed divina ob autorem
Deum, & quidem supernaturalis ob modum sin-
gularem. 2. Differentia specifica, quae de-
scribitur 1. ratione assumentis, qui λόγος. 2. as-
sumptae naturae, quae humana miraculose producta
3. modi, qui est humanitatis ad constituendum u-
num *ὑπόστασιν* inconfusa & indivulsa assum-
ptio.

XLIV. Hinc Athanas. totam hanc rem bre-
vissime & solidissime declarat in suo symbolo di-
cens, incarnationem λόγος nihil aliud esse,
quàm *πρόσληψιν ἀνθρωπότητι* & eis *θεο-
τήτι* assumptionem humanitatis in divi-
nitatem vel in Deum, ut vertit latinus in-
terpres.

Membrum
6. de medi-
tatione
medica.

XLV. Tandem. Meditatio practica tribus potis-
simum membris includi posse videtur, si nempe cogi-
temus 1. causas Deum impollentes, 2. usus ad nos
redun-

redundantes, 3. officia pro beneficio tanto debita:

XLVI. Cause Deum impellentes 3. precipue numerantur 1. miseria humanae consideratio, 2. inexhausta Dei dilectio, 3. divinae gloriae manifestatio.

XLVII. Usus ex incarnatione redundantes tam magni sunt, ut vix mensurari, tam multi, ut vix numerari queant. Clariss. Dn. Praeses distinguit in universalem, communem & specialem, qui vid. in Prael. de pers. Christi.

XLVIII. Nostrum itaque officium erit, ut agamus Deo gratias 1. corde, quo agnoscamus tanta munera, nec eorum obliviscamur unquam Psalm. 103, 4. 2. ore, ut variis Psalmis hymnisq; bonitatem Dei celebremus, juxta illud ad Col. 3, 16. 3. opere, ut vitam nostram voluntati divinae conformemus, ut lux pietatis nostrae luceat, & sic glorificetur pater noster caelestis, Matth. 5, 16.


XLIX. Atq; haec sunt tria illa meditationis practicae capita, quae hymno suo tristropho innuisse videntur caelestes nuncii. Luc. 2, 14. Dum enim Deo in excelsis dant gloriam, nos ad causas impellentes, & modum manifestatae gloriae considerandum manu ducunt: dum pacem in terris annunciant, usus
ad

*ad nos redundantes tacite insinuant: dum homi-
nibus eudoxia, quâ placeant Deo, precantur, ad
officia pro beneficio tanto debita respiciunt.*

L. *In his ergo meditationibus nos semper exer-
ceamus, ita quotidie Gloria in excelsis
cum cœlorum exercitu can-
tabimus.*

F I N I S.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

OGIAS SACRÆ

atio Tertia

De

ROY IN-
ATIONE.

Quam

nte Θεαυθρωπω

PRÆSIDIO

SARIS MEISNERI

col. D. & P. P.

vato examinandam

proponit

RMUS PRÆTORIUS

burgensis.

ovemb. horis pomeridianis

ori Auditorio.



EBERGÆ,

hannis Gormanni,

16 13 6 XIX.